



# ELEGIA

M. GEORGII ME-  
DERI FRANCIPOETAE LAVREA.

*ti, scripta in futuram Ecclipsin Solis, quæ appa-  
rebit hoc anno, A nato CHRISTO 1567.  
die Aprilis nona, circa meridiem, in  
signo Arietis.*

AVTOR LECTORI S.

**P**erlege quæ pinxi rutilantis Sydera cœli  
Lector amice, recens sperne nec istud opus,  
Nam stolidi es, vasti contemnere Sydera cœli,  
Quæ nobis semper mille pericla ferunt.  
Aspice defectum radiantis Apollinis atrum,  
Quem feret Aprilis nona vel ipsa dies.  
Et dices: frustra non hæc facta esse, minari  
Sed magnum nobis hic & ubiq; malum.



REVERENDISSIMO ET AMPLIS-  
simo principi ac domino, D. FRIDERICO,  
Episcopo Herbipolitano, Ostrofranciæq;  
Duci, domino suo clementiss. S. P: D:

**H**Oc Friderice tibi princeps clarissime carmen  
Dedico, quod magni muneris instar habe.  
Carminè quo tristes Solis depingo labores,  
Quos feret Aprili tempore nona dies.  
Insuper & cœli faciem, positusq; vagantum  
Stellarum, præsens hæc Elegia dabit,  
Iuncturamq; cano, calido quæ facta Leone,  
Inferet in nostras quæ mala cuncta plagas.  
Fallor: an hæc læsi portendunt numinis iram  
Signa: vel Arctox maxima damna plagæ,  
Scilicet hæc cœli miracula tanta quid orbi  
Designent præsens hoc tibi pandit opus.  
Sit rude, sit quamvis hoc carmen agreste, nocebit  
Nil tamen hoc facili voluere sæpe manu:  
Nam monet, ut superi vereamur numinis iram,  
Quæ sit quanta, poli signa tot ampla notant.  
Hoc igitur læta Dux optime suscipe fronte  
Carmen, & autorem qui dedit illud, ama,  
Sic tua per vitrei celebrabo littora Moeni  
Nomina, quæ nullo sunt moritura die.

T. Celsitu:

deditis:

M. Georgius Mederus  
Poeta L.

## ELEGIA

**V**ER erit, & pici uiridabunt gramina campi,  
Incipientq; nouas fundere terra rosas.  
Iam passim ualles riguæ, collesq; uirebunt,  
Rursus & opratas proferet arbor opes.  
Iamq; Aethnæa Ceres plenis consurget aristis,  
Et referes fructus dulcis Iacbe tuos.  
Florebunt syluæ sub opacis uallibus uisæ,  
Lenis ab herbosis & streper aura iugis.  
Carminè tum uoluerum resonabunt undiq; syluæ,  
Mellifluosq; iterum fundet Alauda sonos.  
Tempore quo nullum formosius annus habebit,  
( Vere nihil quoniam pulchrius annus habet )  
Sit licet hoc nullum toto iucundius anno,  
Latentur pecudes, luxurietur humus &  
Attamen hoc solito designat tristius omen.  
Hoc, causam caueas quo tibi, tempus habet:  
Nam sacra uelantur radiantis Apollinis ora,  
Aprilis nonam dum feret aura diem.  
Puncta decem, senis bis insuper atq; minutis  
Abscondet rutilum tectus Apollo caput.  
Scilicet in binas fuscum caput occulet horas,  
Nec dabit usuram luminis ipse sui.

Fiet at hic nona Phœbi defectus in æde,  
Quæ fidei nomen, quæ pietatis habet.  
Lanigeriq; gradum ter denum possidet, uno  
Sed minus, hinc reges coget ad arma truces.  
Noscere forsan aues positus stellantis Olympi  
Lector, & errantum castra futura Ducum.  
Hæc (quid enim prohibet Superas uolitare per arces)  
Perlege, quisquis amas Sydera, certus eris,  
Ascendens Aries summas petit ætheris oras,  
Vellera tu cuius Mars truculente premis.  
Nec minus accelerat calido comitante Leone  
Erigone, superas ut petat ante domos.  
Retrogradus medio cœli consistit in axe  
Falcifer, ac Venerem, quam comitetur, habet.  
Iuppiter in quarta cœli statione moratur,  
Cynthia sed fratri pronuba iuncta manet.  
Occiduum spectas radijs combustus in æquor  
Sed Tægæ, Iouis feruida dicta ferens.  
Quid tamen hæc cœli facies infausta futuri  
Nunciet, en præsens pagina Lector habet.  
Nondum (uera loquor) calidi iunctura Leonis  
Euomuit uires funditus atra suas.  
Quæ mala tot celebres Istri deuexit ad oras,  
Nec quod adhuc speret Pannonis orbis habet.  
Horrendus nuper qui fulsit in axe Cometes  
Spargit adhuc uirus, non sine cæde, suum.

Hæc

Hæc duo cum Phœbi fusco portenta colore  
Iuncta, cident summos ad fera bella Duces;  
Scilicet hæc nobis tot damna futura minantur,  
Quot pelagus pisces, gramina campus habet.  
Affrica quot rabidos gignit fœcunda Leones,  
Syluacq; quot frondēs, quot iuga Taurus habet.  
Lanigeri quoniam Phœbus sub Sydere tectus,  
Semper Teutonicis intulit arma focis.  
Nam notat infesti reboantia prælia Martis,  
Prælia sanguineis non nisi grata uiris.  
Turca ferox cupiens totum sibi subdere mundum  
Pannonēs innumera cæde cruentat agros.  
Proh dolor, & Sauri iam castra locauit ad undas,  
Scilicet ad nostras exuebat Erro fores.  
Ut semel infestis timidos nos supprimat armis,  
Qui de Christigenum sanguine turba sumus.  
Qui licet Eo sibi plurima regna sub orbe  
Subdiderit forti, non sine cæde, manu.  
Non tamen inuictas superabit Teutonis urbes,  
Hæc si compositis rebus in arma ruant.  
Teutona nam quondam tellus inuicta manebat,  
Nullius inuenies hanc subiisse iugum.  
Nam quoties proceres Romanos terga coëgit  
Vertere? quot magnos fudit & ense Duces?  
Iulius egregia Martis qui laude secundum  
Non habet, imperij summa columna sacri:  
A iij Germanas

Germanis nunquam potuit domitare Phalanges,  
Tanta fuit uirtus, gloria tanta Ducum :  
At nunc hæc eadem ciuili plena tumultu,  
Ceu lupus in proprias impia sæuit oues.  
Cum sedanda forent fidei de rebus oborta  
Schismata, quæ quondam maxima damna dabunt.  
Sancta salutiferi debebant dogmata CHRISTI  
Per patulas orbis spargier inde plagas :  
Scilicet ille labor Regesq; Ducesq; decebat,  
Regibus hoc unum conueniebat opus,  
Ah utinam CHRISTI curarent dogmata Reges ?  
Obcæat nummi quos malesanus amor.  
Compositisq; domi rebus, post castra subirent  
Vnanimis, pœnas quas fere Turca daret ?  
Scilicet irritant diuini numinis iram  
Hæc mala, quo saluos nos uelit esse minus.  
Hinc nos Turca petet, furij accensus & ira,  
Nosq; uelut miseras dilaniabit oues.  
Fatidici quondam cecinit ceu Musa Prophetæ,  
Quam manibus uoluas nocte dieq; tuis.  
Hinc utolenta tuis pestis grassabitur oris,  
Aufferet & summos, sæua futura, Duces.  
Insontesq; simul populos, sontesq; necabit,  
Altera peccati pœna futura tui.  
Quæ prius Albiaci perlustrat fluminis oras,  
Et quoq; salanas perspatiatur aquas.

Hæc

Hæc Melibæe tuas secedens nuper ad oras,  
Inficit en Lani littora curua tui.  
Hanc quoq; Danubius iam iam, Rhenusq; bicornis  
Sentiet, & Rhodani littora quicquid habent.  
Hanc Padus & Tyberis, hanc sentiet atq; Garumna,  
Et Tagus, hanc quæuis terra sub axe uehet.  
Annonamq; feres Bacchi, Cererisq; supremam,  
Tertia peccati pœna futura tui.  
Quæq; prius uili coëmebas fercula nummo,  
Proh dolor, hæc sumptu iam potiore feres.  
Hinc pestis, hinc dira fames, hinc Turcicus hostis  
Te premet, & spatium non dabit ipse fuga :  
Et ueluti Solymas quondam uastauerat arces  
Dux Titus, imperij quando regebat opes :  
Sic etiam metuo, ne te Machometicus hostis  
Suppressat, & nomen tollat ab orbe tuum :  
Tot mala, tot casus summi moderator Olympi  
Inferet in muros Teutonis ora tuos.  
Hæc ideo, sancti quia dogmata sancta Tonantis  
Respuis, & uanas congeris orbis opes,  
Quæ cum tot uideas nitido miracula cælo  
Attamen hæc nihili nuncia signa facis.  
Si sapiis, ergo meos Germania suscipe uersus,  
Nec mea da rapidis dicta uoranda Notis.  
Venturæ subeas ne tanta pericula cladis,  
Quæ prius heu laceram uix trabis ægra cutem :  
Ludibrium

Ludibrium cunctis ne fias gentibus, oro  
Pectore te toto, Teutona terra caue:  
Assere salufici præcepta salubria CHRISTI,  
Illius ac uera suspice uerba fide.  
Admissi ueniam sceleris deuota precare,  
Sic nec eris rigidis præda futura Getis.  
Supplice uoce DEVM noctesq; diesq; rogato.  
Mitiget ut meriti damna futura mali.  
Crede mihi, summi placabis numinis iram,  
Et uoti compos (si modo credis) eris.  
In medijs sic te tutabitur ipse periculis  
CHRISTVS, & ut uincas tot mala sponte dabit.  
Nam sibi fidentem nunquam spe lactat inani,  
Sed tegit, æternos hic & ubiq; dies.

F I N I S.

